

12987

RABIEI CANINAE
ET
HYDROPHOBIAE
HISTORIAE,
EJUSDEMQUE
PARTIS PRIORIS,
PRIMAE LINEAE.


DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
QUAM,
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI,

AD
GRADUM MEDICINAE DOCTORIS
RITE OBTINENDUM,

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTET,
DIE IX. MENS. JUNII c1o10ccccxii.

AUCTOR
CAROLUS ERNESTUS BRUTZER,
RIGA-LIVONUS.



.....
DORPATI LIVONORUM,
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI,
A: S. MDCCCXXII.

In p r i m a t u r,

conditione tamen, ut, simulac typis excusa fuerit dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xxvii. Mens. Maji

MDCCCXXII.

Dr. Ludovicus Emil. Cichorius,

h. t. Decanus.

D 14113

P r a e m o n e n d a.

Ad rationalem morbis, qui hucusque crediti fuerant insanabiles, medendi methodum constituendam, horum morborum historiam excolere, omnino jam magni momenti et fructus esse, quemque facile persuasum esse existinem. Nec quis negaverit, hanc historiae uberiores culturam majoris adhuc esse pretii in iis morbis, qui propterea sanari nequeunt, quod nimis abstrusam difficillimeque eruendam habeant naturam. Historia enim gravissima subministrat, ad hanc abditam morbi naturam illustrandam, argumenta. Vanis antecessorum tentaminibus pariter de-

verticula monstrat viasque falsas, quas novus quisque harum rerum scrutator caveat, ne ipse frustra laboret et reverti cogatur idem, unde discesserat. — Iudicatū rei utilitatis commotus, rabiei caninae et hydrophobiae 1) verae (i. e. ex rabidi animalis morsu oriundae) historiam, dissertationis argumentum elegi. Ideoque thema electum non rejicere visum est, quamvis clare satis praeviderim, haud exiguo quidem labore et operā, tamen nonnisi exigua me esse praestiturum; quum superio-

1) Hic admonere liceat me in hac dissertatione semper voce „Hydrophobiae“ ad eum morbum indicandum, quo homines afficiuntur esse usurum; „Rabiei caninae“ nomine autem ad eum solum quo canes atque caetera animalia laborant; licet haec plerumque hominum soleat esse medicis.

ribus annis, cum arti medicae operam dare coepissem, non nisi pusillum temporis operum veterum medicorum studio dicere liceret, neque in omnium linguarum, quibus veteres rerum medicarum scriptores utebantur, studiis satis sim versatus, ut ipsa eorum opera, unde medicae artis fontes ducuntur, perscrutari singula potuerim. —

Opus ipsum adgressus statim intellexi, thema propositum nimia amplecti, quam quae intra dissertationis inaugurales angustos fines teneri possint 2), si accuratius quidem, sicuti fas est, singula

2) Cui quidem certe quisque adsentietur, qui vel ea, quae Ploucquet in „Literaturā medicā digestā“ sub hydrophobiae titulo con-gessit, oculis percurrerit.

forent eruenda. Quod de re ad unam tantum totius thematis partem me restringere visum est, ad historiam nimirum istorum morborum, inde a primis existentiae eorum vestigiis, usque ad tempus re-staurationis, quam dicunt, literarum, h. e. usque ad finem ejus aevi, quo medici Arabes praesertim medicinam excolebant; inde a quo temporis spatio haec historia aliâ ratione ac methodo est prosequenda et continuanda ejus delineatio, ut materialium copia plane perspici liceat.

Ut alterius hujus historiae partis defectum ullo modo compensem, saltem quoad therapiam, quae, ut nemo dubitat, maximi est momenti, in notis nonnullis substratis, remedia indicavi nuperrime contra hydrophobiam laudata, quorumque vari-

tas ac fallacia saltem nondum est demonstrata. Pari modo et in omnibus medicaminibus a veteribus propositis locum adnotavi, ubi Dioscorides de iis tractat, hujusque scriptoris editionem multis eruditorum notis instructam indicavi 3); ut lector facilius intelligat, de quo remedio sermo sit, quum saepius aliis nominibus remedia a veteribus nominarentur, atque a nostri aevi scriptoribus.

Denique temperare mihi non possum, quin admoneam (quamvis in re a me tractandâ, neminem eruditorum id quidem fugiat) nonnullis scriptis, quorum ad the-

3) Pedanii Dioscoridis *Aparzarbei*, de medicinali materia libri sex. Interprete J. Ruellio, cum annotationibus V. Cordi atque E. Cordi, additamentis C. Gesneri. Francof. 1549.

ma propositum persequendum, insignis futurus fuisset usus, me omnino caruisse; ideoque coactum fuisse saepius fidem habere aliis auctoribus, atque in iis acquiescere, quae hi quidem, ceu ex ipsis fontibus hausta, prodiderunt. Haec submonenda mihi videbantur, ne, si qua aut suspecta, aut dubia visa fuerint, aliorum culpam mihi luendam imponant Lectores.

*De rabiei caninae et hydrophobiae origine
et primis earum vestigiis apud veteres.*

Quam arduum sit, quantaque difficultatis, tempus investigare, quo rabies canina et hydrophobia primum apparuerint, jam ex iis, a veteribus ad rem emendam allatis, liquet, quae Caelius Aurelianus tradidit 1).

Ineptum autem mihi quidem videtur, multa verba facere ad rabiei caninae vetustatem probandam: nam quum animalia, ipsaque domestica, multo minus noxiis rebus ex cultura sensim ulterius progrediente et ex declinatione a statu naturali oriundis afficiantur, quam ipse homo; non est, quod supponamus novos morbos,

1) Acut. morb. L. III. c. XV. (ed. Haller, Lausann. 1774.) p. 261 sq.

exceptis forsan endemicis, stricte sic dictis, quibus illa novi domicilii cujusdam peculiari naturâ afficiuntur, inter animalia oriri; pari modo nec rabiem novum bestiarum morbum esse, colligere licet.

Praeterea nec desunt scriptorum effata, ex quibus certissime concludere fas est, rabiem jam pristinis aevis exstitisse: *Horapollo* enim profert observationem, nescio cujus, inter Aegyptios veteres factam, ex dissectione canum rabiosorum, morbum lienis atrocissimum plerumque oriri 2). *Homerus* metaphorice rabiem caninam ad homines detulit: Teucerum enim Hectorem canem rabidum nominantem inducit 3); id quod propterea forsan majoris etiam momenti fuerit, quod Teucus Chironis discipulus, et uti complures heroum antiquorum, rei medicae ignarus non esset. *Aristoteles* claris verbis de rabie, tamquam de morbo, quo canes laborent, loquitur 4). *Theocritus* denique, haud multo post Aristotelem clarus, (Ptolomaei Philadelphii, uti constat, aequalis) etiam de aliis animalibus rabidis

2) Hierogl. I. I. c. XXXIX. p. 54. (R. Sprengel, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. 2. Ausg. Halle 1800. Th. 1. p. 81.) ed. Hoeschel 1595. p. 50.

3) Iliad. VIII. v. 299.

4) Histor. animalium. L. VIII. c. XXII.

cecinit 5). (De aliis huc pertinentibus infra dicendum.) — Multo difficilius autem est quaestionem solvere, quo tempore hydrophobia inter homines primum apparuerit et observata sit; quamvis vel jure concludere liceat, cum causa hydrophobiae hominibus non defuisset, et eam ipsam jam exstitisse. Nam objectio ista: ad figuendum quemcumque morbum, vel contagiosum, corpori dispositionem quandam inesse debere, cujus ope contagium percipi exserique possit, hic locum habere mihi quidem non videtur, quum, diligentiori disquisitione institutâ, quantumcumque diversa fuerit corporum conditio, post morsum ab animali utique rabioso inflictum, venenoque vere communicato, idem omnino percipi liceat effectus, et exempla 6). quae circumferuntur, ejusmodi morsuum, quos, vel nullis remediis adhibitis, non subsequuta sit hydrophobia, non nisi rara omninoque dubia videantur. Desit autem et haec commemorata dispositio quibusdam hominibus, sicuti me-

5) Idyll. IV. v. 11.

6) Longis, Comment. de aquâ marinâ. Oxon. 1755. p. 24. — Hunter in: Richter, Chir. bibl. B. 13. p. 186. (Richter, specielle Ther. B. 8. p. 192.)

dici multi 7) contendunt, tamen non est cur supponamus, omnes mortales pristinis aevīs hujus morbi omnino fuisse immunes.

Sunt, qui hunc morbum veteribus ignotum fuisse contendunt, et in his praecipue Hieronymus Mercurialis, affirmans, hydrophobiam vel omnino ignotam antiquis fuisse, vel Aristotelis quidem aetate non observatam, ejus curandi rationem autem Cornelium Celsum primum tradidisse 8).

Quae isti viri, ad opinionem suam sustentandam, afferunt, eademque praecipua, haec sunt:

1) *Hippocratem* et alios ei aequales scriptores, eosque diligentissimos, hujus morbi mentionem non fecisse; recte enim jam Caelium Aurelium monuisse 9), (quocum et recentiores scriptores consentiunt) 10) Hippocratem in loco, ab iis, qui hydro-

7) Vid. Richter, specielle Therapie. Vol. VIII. p. 189.

8) H. Mercurialis, Variarum lectionum. L. I. c. II. et ejusdem L. de hydrophobia c. V.

9) l. c. c. XV. p. 264.

10) Meugener's Abhandlung von der Hundswuth aus dem Französischen von Megeker. Frankfurt a. M. 1793. p. 2. — Hecker in: Gräfe und

phobiae antiquitatem contendunt, allato 11), de phrenitico potius, quam de hydrophobis, loqui. In hoc effato atque in simili quâdam 12) *Polybi* 13), Hippocratis generi, sententiâ hydrophobiae symptomaticae primum vestigium invenire forsā licet.

2) *Aristotelem* hunc morbum non novisse, inde apparere, quod, ubi de rabie caninâ loquatur, haec utique falsa dixerit: „Omnia animalia a cane rabido commorsa saevire et rabie interire, praeter hominem.“

3) Denique *Plutarchum* retulisse, hydrophobiam et elephantiasin novos fuisse morbos temporibus Asclepiadis (qui sub Pompejo magno, 100 circ. an. a. Chr. n. floruit).

Waltzer, Journal für Chirurgie und Ophthalmologie. B. 2. St. 2. p. 336. et alii complures.

11) In „praedictorum, L. I. No. 16. dicit: Phreniticos parvibulos, quos brachypotas vocant, sonu quolibet pulsatos tremore adfici.

12) Cael. Aurel. l. c. p. 262. „Item Polybus hanc passionem memoravit, dicens pheugydros cito interire.“

13) Nicolai, das Merkwürdigste aus der Geschichte der Medicin. Rudolstadt 1808. Th. I. p. 105. 125.

Hisce argumentis, uti primo quidem intuitu videri potuerit, litem dijudicantibus, haud parvi, ut opinor, momenti alia possunt opponi:

1) Quod in libris Hippocratis, nihil de hoc morbo scriptum legamus, inde maxime probari posse videtur, quod, uti alia ejus scripta, ita et hoc, in quo hunc morbum descripserit, deperditum esse possit; quum satis notum sit, nos nequiquam omnia summi hujus auctoris opera possidere 14). Opinioni enim nonnullorum recentioris temporis scriptorum suspicantium, rabiem caninam forsitan in iis regionibus, ubi Hippocrates viveret, non existisse, ideoque ipsi non innotuisse, (unde Aristotelis quoque inscitiam vel falsam hujus morbi notitiam explicare voluerunt) 15) assentiri nolim. Nam quamvis complures et praeteritorum et nostrorum temporum scriptores, de diversis terrae regionibus contentant, canes rabidos ibi aut rarissimos 16) aut omni-

14) I.e. Clerc, *histoire de la Médecine*. Amsterd. 1723. 4to. P. II. p. 457.

15) F. Harles, *über die Behandlung der Hundswuth und die Wirksamkeit der Datura stramonium gegen dieselbe*. Frankfurt a. M. 1819. p. 4. — et alii.

16) De la Fontaine, *chirurgisch, medicinische Ab-*

no nullos 17), in aliis contra frequentissimos 18) inveniri: haec quidem oppositio nec Hippocratem, neque Aristotelem tangere mihi quidem videtur, ut quorum prior multos annos in itineribus faciundis peregerit, in iisque maximam argumentorum in ipsius libris contentorum partem collegerit 19); alter autem in variis, multum distantibus terrae locis vixerit, Alexandri Magni in expeditionibus ejus bellicis co-

handlungen. (Richter, *Chr. Bibl.* 13. B. pag. 420.) (in Polonia rarissimos.)

17) Brownes, *Reise in Afrika, Aegypten et c.* p. 464. (in Aegypto vix ac ne vix quidem). — Lartrey, *Relation de l'expédition en Egypte*. Sect. IX. (ibi nullos.) — Savry, *Lond. med.* J—1. 1781. (*Auserlesene Abhandl. für prakt. Aerzte*. VII. B. p. 491. *Neue Ausgabe v. Koch*. 1800. Th. 3. p. 157.) (Cyprum et Syriam maritimam nunquam canes rabidos habere.) — Zinke, *Versuch einer med. Geographie*. Th. 1. (Alepi, Soriae oppido, et in nonnullis Archipelagi insulis aut rarissimos, aut omnino nullos).

18) Cael. Aurel. l. c. c. XV. p. 263. (in Caria et Creta canum rabies frequentissima.) — Scribonius Largus, *compos. med.* ed. J. Rhodius. c. XLIII. S. CLXXI. (in Sicilia frequens.)

19) F. J. Eloy, *Dictionnaire historique de la Médecine*. Mons. 1778. 4to. T. II. p. 527.

mes 20). — Sed alios illius aevi scriptores utique hydrophobiae mentionem fecisse, postea videbimus.

2) Ille locus 21) in Aristotelis scriptis obviis, in quo explicando tantopere medici dissentiunt, hydrophobiae antiquitati sustentandae potius, quam negandae inservit; quod nimirum concedamus, dumne negemus, e praesente cujusvis effectus sufficiente causâ et ipsum effectum, ut supra jam monuimus, oriri debere; rabiei enim caninae existentia ibi clarissime indicata est. Praeterea plures auctores vario modo tentaverunt Aristotelis fidem tueri, vel circa illam ipsam huius efflati partem, quae hydrophobiam hominum spectat; sic, e. c. Leonicens et Fracastorius de lectione spurriâ cogitantes, pro „πλήν ανθρώπου, πριν“ (prius) reponere volunt; Marcellus Donatus autem „πλεον“ (i. e. plusquam) legit. Sic magna conjecturarum criticarum copia in variis scriptis invenitur, quas

20) Sprengel. l. c. P. I. p. 496.

21) *Histor. animal.* Lib. VIII. c. XXII. ubi Aristot. postquam dixerat, canes et rabie laborare, hisce verbis continuat: „Καὶ ἔταν δάκη, λυτῶσιν ἅπαντα τὰ δηχθέντα, πλήν ανθρώπου ἀνίρει δὲ τὸ νόσημα τοῦτο τὰς τε κύναις, καὶ ὅ, τι ἂν δηχθῇ ὑπὸ λυττώσης, πλήν ανθρώπου.“

omnes hic enumerare huius non est loci; quare ipsa scripta 22) adeant velim lectores. Unam tantummodo opinionem commemorare liceat nuperrime re-coctam jamque prius refutatam 23), neque, ut mihi quidem videtur, admodum probandam: Hecker enim putat 24), quum H. Mercurialis in quodam antiquo codice, eo quidem loco Aristotelis historiae animalium, primum illud „πλήν ανθρώπου“ se non invenisse contenderit 25), et alterum forsitan serius Aristotelico textui esse insertum; — quae conclusio saltem logica non est dicenda.

3) Plutarchi testimonium 26) denique nullius momenti esse potest: non quidem, uti Hecker opinatur 27), propterea, quod ille artis medicae ignarus

22) Joseph. de Aromatariis disputatio de rabie contagiosa. Venetis 1625. p. 10. 11. et 14 — 22. — Bonaventura, Utrum homo possit rabiei affectu interire, ex Aristotelis sententiâ. Urbini 1627.

23) a Josepho de Aromatariis, loco modo citato.

24) l. c. p. 338.

25) l. c. varior. lection.

26) Plutarchi sympos. L, VIII, probl. IX.

27) l. c. p. 339.

fuerit; (nam ad tantillam notitiam reddendam magna quidem medicinae scientiâ sane non est opus!): sed primo, quod Plutarchus istam opinionem, non ut ex sua ipsius animadversione natam, memoret, sed ut Arthenodoti cujusdam, incertae fidei hominis, dictum venditet; deinde, quod idem locus facillime et ita intelligi possit, sicuti verè jam acceptus est 28), ac si ibi contenderetur, hos morbos tempore Asclepiadis Romae novos fuisse. Huic ultimae conjecturae quidem opponere licet, cum Roma non inter eas regiones supra nominatas esset, de quibus narrabatur, rabiem caninam rarissime ibi apparere, non esse, cur supponamus, ante Asclepiadis aevum hydrophobiam ibi non existisse! — Una adhuc est opinio, quâ et modo oppositae et permultae aliae dubitationes ac difficultates facillime tollerentur, nisi utique difficillime defendenda mihi videretur, quantumvis nostrae aetatis auctor quidam 29), cui multas maximique momenti observationes, rabiem caninam spectantes, debemus, ei assentiri videatur. Et eo

28) J. C. Barchusen, de Medicinae origine et progressu. Traj. ad Rhren. 1723. p. 73.

29) Delabere Blaine, Cahine Pathology etc. Lond. 1817. (Neue Sammlung auserl. Abhandl. für prakt. Arzte. 4. B. 4. St. Leipz. 1820. p. 719.)

quidem redit haec opinio: rabiem, perinde ac luem veneream forte, semel quondam, confluentibus multis momentis causalibus, alicunde originem duxisse, deinceps solo contagio sese propagasse et regenerasse per tot saecula et per totum terrarum orbem. Sic facillime intelligeretur — quomodo fieri posset, ut rabies in nonnullis regionibus usque ad certum quoddam tempus nunquam observaretur 30), seriori autem tempore ibidem haud rara esset 31), quamvis eodem temporis spatio ejusdem soli natura mutata non esset — ut hoc uno exemplo utar. Sed, uti jam dictum, huic opinioni experientia aut contraria esse videtur, aut saltem certam fidem facere nunquam poteris, quum experientia nonnisi negativa argumenta suppeditare possit. — Cuicumodi est, dubitari nequit, quin rabies canina et hydrophobia jam remotissimis temporibus in terrae aliquo loco existierint; id quod

30) Rosely, Abhandlung von den Krankheiten zwischen den Wendekreisen (ante an. 1783 in India occidentali non fuisse.) — confer. Finke, l. c. 1. Th. p. 463.

31) Hillary dicit, in India occidentali frequentissimam esse rabiem (Harles, l. c. p. 31. — et id in „Neues J — l der ausländischen. med. chir. Literatur. 9. B. 1. St. p. 65. — In Polonia rabiem canin. (contra La Fontaine supra notatum effatum) an. 1811 equidem haud raram inveni.

ex iis, quae ante dicta sunt, satis clare elucet et amplius confirmabitur testimoniis auctorum, ab iam adlatis si discesseris, nunc adducendis:

Sunt 32), qui primum hydrophobiae vestigiū in relatione de morte *Actaeonis* 33) invenisse se putent; an recte, nec ne? equidem dijudicare non ausim, quum veterum scriptorum alii aliter eam historiam referant 34). *Actaeon* autem 1260 circiter annos a. Chr. n., haud multo ante Argonautarum expeditionem, vixisse creditur.

Plinius refert 35), *Epicharmum*, Pythagorae (qui ab an. 608—510 a. Chr. n. vixit) discipulum brasicam silvestrem ad canis rabidi morsum commendasse. — Hippocrati (qui ab an. 460—370 a. Chr. n. floruit) aequalis, *Democritus* quoque jam de hydrophobiā scripserat, hujus tum naturā, tum medendi ratione commemoratā, quā de re postea plura erunt

32) Sprengel, l. c. P. I. p. 149. — J. Rhodius in emendat. et not. ad Scrib. Larg. de compos. med. Patav. 1655. p. 256. ad S. CLXXI.

33) Euripid. Bacch. — Apollodor. L. III. c. IV.

34) Ovid. Met. III. 138. — Diodor. et alii.

35) Histor. natur. L. XX. c. IX. (ed. Franzius. Lips. 1787. Vol. VI. Lib. XX. No. XXXVI. p. 540.)

commonenda. — Sic et *Andreas Karystus* (qui 200 circiter an. a. Chr. n. vixit, a Corn. Celso Herophili sectoribus adnumeratus) 36), opus de hydrophobiā composuisse dicitur 37), „κνόλυσσον“ inscriptum. —

De aliis nonnullis Herophili sectoribus, de quorum opinionibus hunc morbum spectantibus postea dicendi locus erit, taceo, cum tempus, quo vixerint, certe erui non liceat; similiter de nonnullis Homeri, aliorumque poetarum antiquorum versibus, a veteribus 38) ad hydrophobiae antiquitatem probandam allatis, quum allusiones in iis obviae non, nisi vi quādam adhibitā, ad hunc morbum referri possint. Pari modo a M. P. C. Gorry prodita opinio 39) dijudicandā mihi videtur, qui in die festo quodam, Argis quotannis celebrato, (qui *Cynocephantes*, vel *Cynocephatis* nominabatur), quo omnes canes occurrentes interficiebantur, rabiei antiquitatis vestigia se invenisse putat.

Ne qua huc spectantia praetermisisse videar, et

36) Praefat. ad lib. V.

37) Cael. Aurel. l. c. c. IX. p. 251.

38) Cael. Aurel. l. c. c. XV. p. 262.

39) Corvisart, J — 1 de Med. Chirurg. Pharmac. T. XIII. p. 83. (Auserk. Abhandl. für prakt. Medic. 24. B. 3. St. p. 373.)

medici cujusdam Graeci, ejusdemque anonymi, tractatum de hydrophobiâ commemorare liceat 40, ut in quo hunc morbum veteribus omnino non innotuisse doceret. De cujus tractatûs genuinâ fide valde tamen dubitatur.

Denique commonendum, ne quis, Hinzii Doctoris, nescio cujus, — auctoritate adductus, novum hydrophobiae vetustatis argumentum se invenisse opinetur. Monet Hinzii 41) iste: notum esse, Euripidem in Aegypto hydrophobiâ laborantem ibidem a sacerdotibus submersionibus in aquâ marinâ fuisse sanatum; hanc autem notitiam ex Diogenis Laërtii libris depromptam evidenter probare, rabiem caninam Euripidis temporibus (vixit ille ab an. 480 — 407. a. Chr. n.) in Aegypto jam exstitisse, et s. p.. Sed Diogenes Laërtius ꝑo loco 42), de quo Hinzii loqui

40) Anonymi tractatus de hydrophobia, graece, et a Jac. Sims latine versus, ed. St. Bernard. Arnheim. 1791. (jam primo initio opusculi dicit: „ὅτι μὲν ἀρχαί τοῦ πάθους οὐκ ἐμνήσθησαν.“)

41) Hufeland, Journal der praktischen Heilkunde. 1821. 52. B. 2. St. p. 31.

42) Diogenis Laërtii de vitis et c. philosophorum. Amstelaedami 1692. L. III. segm. b. (καὶ αὐτόθι νοσήσαντα πρὸς τῶν ἱερῶν ἀπολυθῆναι τῇ διαβαλάττης θεραπείᾳ.)

videtur, nil praeterea dicit, nisi fere hoc: Euripidem morbo comprehensum in Aegypto, balnei marini usu, a sacerdotibus commendato, convaluisse. Quantumvis igitur argumento isto uti non liceat, adducta tamen satis probare mihi videntur, rabiem caninam atque hydrophobiam remotissimis jamjam exstitisse aevis.

Ad ipsam morborum dictorum historiam agendum jam transgrediamur. Et primo quidem ad medicorum opiniones de eorum causis tum remotioribus tum proximis, ac de eorum sede; et ad phaenomenorum explicationes; deinde ad remedia, ad eos tum cavendos, tum curandos commendata enarranda.

H i s t o r i a e
rabiei caninae et hydrophobiae
pars pathologica.

Quod totius medicinae et singulorum morborum historiâ edocemur, idem et historiâ rabiei caninae et hydrophobiae confirmatum videmus: irritum nimirum et noxium esse, singularia quaedam phaenomena, aut singulas phaenomenorum series macrocosmo organico exemptas explicandi aut eorum existentiae theoriam construendi conamen. Etenim non sine magno studio et labore eam vix erexeramus, ejusdemque imbecillitatem conjecturarum temeritate suffulcire tentaveramus, quum nova aliqua observatio, omnidubitatione superior, totam quasi aedem dirueret; et beati sane fuerimus censendi, si diruta fuerit, priusquam agendi ratione inde profectâ ob haud raro dirum funestumque eventum eam relinquere co-

gamur, et reverti ad experientiae fines, intra quos tanta et talia occulta adhuc requiescunt, quae construendis theoriis fundamentum forsitan et tholus sunt. Sic, qui innumerabili librorum copiâ, vel a summis viris, de rabie caninâ et hydrophobiâ conscriptorum illustratâ, in recentissimis libris hanc rem spectantibus, novas adhuc et maximi momenti observationes et notitias invenit, hic sane habet, quod miretur, talia et tanta 43) ab horum antecessoribus et non observata esse et praetermissa.

Ad priorem partem historiae pathologiae eorum morborum, de quibus sermo est, quam quidem solam tractandam sumsimus, quod attinet, illa jam eo ab alterâ magnopere superatur, quod duos fontes, eosque principales ad morbi naturam investigandam adire istis temporibus conati non sunt: nimirum cadaverum dissectiones et ipsa experimenta, recentissimis maxime temporibus, ad contagii rabiei naturam explorandam, instituta 44). Illa hujus historiae pars

43) Vid. e. c. Delab. Blaine op. sup. cit. — L. F. Troiliet Nouveau Traité de la Rage et. c. Lyon et Paris 1820. — et alia.

44) E. c. Zinke, neue Ansicht der Hundswuth, ihrer Ursachen und Folgen. Jena 1804. Grundmann, Abhandl. über die Eigenschaft u. Wir-

quae praebet, haec fere sunt: theoriae rabiei caninae et hydrophobiae, ex systematibus medicorum et philosophorum iis aevis dominantibus derivatae; singulae opiniones, haud raro superstitiosae, de horum morborum causis, multae et saepius egregiae observationes eorum symptomatum et tentamina vana, ex abrupto, ut ita dicam, ea explicandi; sed interea et summi ingenii medici nonnulli veram hujus morbi naturam feliciter quidem praesenserunt et indicaverunt, ex praemissis autem tam insufficientibus has ideas lucidas derivarunt, ut veluti revelationis potius, quam sui ipsorum studii suarumque scrutationum operosarum fructus esse videri possint. Talia, quae modo diximus phaenomena, quae quidem non pauca nobis subministrat quaevis literarum historia, attente observantibus denuo evincunt, hujusmodi ideam ingeniosam, animantem et, sit venia verbo, vivificantem totam phaenomenorum seriem, sicuti ipso inscio atque ex improvise, nata fuerat, ita et inutiliter evanescere

kung d. animalischen Electricität, wodurch die Natur der Hundswuth erkennbar wird. Breslau 1803. — Desgranges, (et jam prius Rougemont) experimenta in: Annal. de la Med. pract. de Montpellier. Octob. 1806. — Gauchin: Journal d'Economie rurale. Fructid. 1805. et al.

et saepius per multum tempus non animadverti, donec denuo forsans inspiretur vel potius rationis viâ, studio et labore reperiat.

Modo dicti et ansam et exemplum praebet *Democriti* de hydrophobiae naturâ effatum (a quo medicorum ordo hic est auspicandus, et cujus, quâ vixerit, aetas jam supra notata.) Contendit quidem, eam esse morbum nervorum; id quod ex totius corporis convulsione et ex membri virilis tentigine, hanc passionem comitantibus, collegit 45); quinimo alio ipsius operis loco (quo de opisthotonicis et emprosthotonicis tractat) dicit, hydrophobiam esse incendium nervorum 46). — Quo magis haec opinio rei veritati respondere videtur, eique plures nostri temporis medici adsentiantur 47); eo magis dolent-

45) Cael Aurel. l. c. c. XIV. p. 257.

46) Cael. Aurel. l. c. c. XV. p. 261. c. XVI. p. 267.

47) Saeculo praeterito similem opinionem proderunt: Boerhaave de cognosc. et curand. morb. Aph. 1142. et Swieten ad h. l. p. 565. T. III. ed. Hildb. — Mead, Mechanical Account of Pois. Ess. II. p. 129. — (opp. edit. lat. Paris. 1757. vol. I. p. 54. 55.) — Ridley, obs. de Asthmate et Hydroph. XXV. p. 108. — Recentissimis temporibus plures, e. c. Auten-

dum, illo ipso Democriti opere nos carere, paucis istis acquiescere coactos, quae nobis tradidit Caelius Aurelianus. Nam quum res ita se habeat, non possumus, quin illa Democriti effata accipiamus de ligamentis et tendinibus; quum Aristoteles, qui seriori aevo vixit, primus hos et nervos distinxisse tradatur, illosque „νεύρους“, nervos autem „πόρους τοῦ ἔγκεφαλάου“ nominasse 48); et quum Herophilus (qui Ptolomaei primi tempore, 307 circiter an. a. Chr. n. vixit 49) et Erasistratus, ei aequalis, primi accuratorem notitiam de nervis, eorumque origine divulgassent, eosque tum sensui servire, tum voluntati subjectos esse docuissent 50).

Herophili hujus (qui praeterea humorum corruptionem omnium morborum causam esse putabat)

rieth, Diss. de hactenus praetervisa nervorum illustratione in sectione hydrophoborum. Tub. 1802. — confer. Hufeland. Bibl. der pr. Heilkunde. 12. B. 3. St. — Goeden, von der Bedeutung und Heilung der Wasserscheu. Breslau 1816 et Hufeland J—l. 42. B. 1. St. p. 100. Haase, über d. Erkenntn. und Cur der chron. Krankh. 2. B. p. 232. — et alii.

48) Sprengel l. c. P. I. p. 499.

49) id. l. c. p. 563.

50) Nicolai l. c. 1. Th. p. 146. 147.

sectatores, quorum hoc loco magis interest, sunt: *Andreas Karystus*, jam supra nominatus, *Demetrius* et *Gajus*. De horum primo nil nobis constat, nisi quod opus composuerit de hydrophobiâ, nec non de panto-, sive de pantophobia, peculiari nervorum morbo 51). —

Demetrii, (dogmaticorum, quos dicunt, placitis, uti ipse praeceptor ejus, addicti) 52), memorabilem observationem Caelius Aurelianus nobis servavit 53), quam quidem ipse, tanquam omnino falsam, rejecit: hydrophobiam nempe nonnunquam chronicum esse morbum, atque aegrotos fuisse, qui totum biennium transegerint, levi aquae timore affecti 54).

Gajus, empiricus, scholae, Laodiceae quae olim florebat, discipulus 55), opus conscripsit de hydrophobiâ, in quo contendit, eam in cerebro hujusque membranis residere, quia nervi et voluntario motui

51) Cael. Aurel. l. c. c. XII. p. 256.

52) Nicolai, l. c. p. 151. — Le Clerc, l. c. P. II, I, l. c. VII. p. 325.

53) l. c. c. XI. p. 254.

54) Confer. Nov. Act. Nat. Cur. Vol. IV. obs. II.

55) Sprengel, l. c. P. I. p. 599. — Nicolai, l. c. p. 154.

inservientes et ii, qui ad stomachum extenduntur, inde originem ducant 56). — Denique alter Herophili sectator, ex scholâ Laodicenai, *Aristoxenus*, Titi temporibus (70 circiter an. p. Chr. n.) floruit 57). De hoc in parte therapeuticâ sermo erit.

Jam ad *Asclepiadis* adsecclas transeamus; de quo ipso notandum, quod omnium, qui eum antecesserant, medicorum systemata et methodos rejecit, et peculiari viâ sibi electâ in morborum tractandorum ratione, horum causas praecipue respexit.

Illi igitur hydrophobiam quoque chronicis morbis adnumeraverunt, (*Asclepiades* primus morbos acutos et chronicos distinxisse, a nonnullis dicitur 58), quia interdum multo post morsum factum erumpat 59). Nonnulli eorum hydrophobiae sedem in cerebri membranis quaerebant, instar aliorum morborum mentem turbantium, ut phrenitidis, epilepsiae, lethargiae; alii ad diaphragma eam referebant, quum ibi dolor sentiretur; alii denique ad

56) Cael. Aurel. l. c. c. XIV. p. 258.

57) Sprengel, l. c. p. 591. — Nicolai, l. c. p. 153.

58) Nicolai, l. c. p. 172.

59) Cael. Aurel. l. c. c. XI. p. 255.

ventriculum, id quod ex siti magnâ et vomituritionibus concludebant 60). Hujus (postremo loco commemoratae) opinionis inter alios et *Marcus Artorius* erat, qui Augusti tempore vixit 61), operis de hydrophobiâ auctor 62), ubi exemplum de milite quodam hydrophobo adduxit, qui, quantumvis maxime iratus suo aquae timori, tamen vincere eum non poterat 63). — Ante hunc vixit (63. circiter an. a. Chr. n.) alter *Asclepiadis* sectator, *Themison*, celebris sectae methodicorum auctor 64), (de quorum opinionibus hydrophobiam spectantibus postea, cum ad Cael. Aurelianum pervenerimus, dicetur). Hunc hydrophobiam ipsum perpeccum esse ajunt 65), eâque de causâ ab eo ipso notitias maximi momenti sperare licuisset; sed ipse, simulac hujus morbi descriptionem aggrediretur, timuisse fertur, ne in eundem statum hydrophobicum recideret, hinc a suo desti-

60) Cael. Aurel. l. c. c. XIV. p. 258.

61) Sprengel, l. c. P. II. p. 26.

62) Cael. Aurel. l. c. c. XIV. p. 258.

63) *ibid.* c. XI. p. 254.

64) *Corn. Celsus*, praefat. ad L. I. — *Le Clerc*, l. c. P. II. L. IV. S. I. c. I. p. 439. — *Sprengel*, l. c. P. II. p. 30.

65) Cael. Aurel. l. c. c. XVI. p. 257.

tisse consilio 66). Praeterea locus 67) in Dioscoridis operibus, ubi hunc ipsum casum memorat, dubios nos facit, utrum fuerit Themisonis morbus hydrophobia vera, (nimirum ex rabidi cujusquam morsu exorta, uti Cael. Aurelianus, licet non nisi sibi relata, retulit,) an forte tantummodo symptomata? — Ait nempe Dioscorides; alios narrasse, eum, demorsum, in hunc morbum incidisse; alios, ipsum, cum amico aquam expavescenti morem gessisset et officia exhibuisset, ex quâdam naturarum concordia, sibi et ipsi similem contraxisse affectum, nec nisi post multos cruciatûs tandem esse servatum 69). — Ad Themisonis opinionem de hydrophobiae naturâ quod attinet, eadem omnino fuisse videtur, quam ejus discipulus, *Eudemus*, Tiberii temporibus (20 circiter an. p. Chr. n.) clarus 69), nobis proposuit, quippe qui melancholiae eam analogam esse putet 70); cui qui-

66) Cael. Aurel. l. modo c.

67) Dioscorid. l. c. L. VI. c. XXXV.

68) Confer. et Pauli Aeginet. relat. med. L. V. c. III.

69) Le Clerc, l. c. P. II. L. IV. S. I. p. 444.

70) Ex hac discipuli ejus judicio de hydrophobiae naturâ lato, id quoque forsân colligere licet, Themisonis morbum, hydrophobiam veram, contagiosam, non fuisse.

dem Cael. Aurelianus opponit, alteram esse chronicam, alteram acutam passionem 71). Ille *Eudemus*, de quo in parte therapeuticâ plura erunt dicenda, medicum se observasse narrat hydrophobicum, suarum ipsius lacrimarum stillicidio morbi impetu affectum 72).

Nunc ad primam, usque ad nostra tempora servatam, rabiei caninae et hydrophobiae amplio-rem et accuratiorém explicationem transimus, *Dioscoridis* dico, qui quidem, quo floruerit tempore, certum non est 73); sed si J. Rhodio fides habenda 74), sine dubio ante Corn. Celsum vixit. Dicit Dioscorides 75); canes plerumque fervente solis aestu saevire, sed interdum et acri frigore; tunc abhorere et cibos et potûs; ore et naribus multum limi spumosi profluere; morosos esse atque in omnes et homines et feras, tum familiares, tum exteros, sine latratu irruere. Eorum morsu, pergit auctor, (quo effectum vulnus ab initio, perinde se habet, ac quodcunque aliud, morsu inflictum) oritur hydrophobia; quae manife-

71) Cael. Aurel. l. c. c. XII. p. 256.

72) *ibid.* c. XI. p. 254.

73) Le Clerc, l. c. P. III. L. II. c. II. p. 621.

74) In not. ad Scrib. Larg. S. CLXXI.

75) l. c. L. VI. c. XXXV.

statur: nervorum distensione, rubore totius corporis, praesertim faciei, sudore et languore; aegrotorum nonnulli et auram et lucem expavescent; alii perpetuo doloribus cruciantur; alii canum more latrant et obvios quoscumque mordent, cum quibus eundem morbum ita mordendo communicant. Dioscorides ipse, se neminem hydrophobiâ liberatum nosse contendit, licet ejusmodi aliquot exempla historia praebeat; sed se ipsum aliosque medicos, quos nôrit, plures servasse, in quibus aquae formido nondum erupta esset. — Ex eo capite 76, quo de morbi curâ tractat, elucet, ejus temporibus jam medicos de existentia materiei venenosae fuisse persuasos, quâ vulnus ipso morsu imbueretur; suadet enim, vulnera vel minima, quae nonnisi cuticulae leviter laesae speciem prae se ferant, non negligere, utpote ex quibus virulentus liquor non, uti e gravioribus, cum sanguinis copiâ effluat. — Ad tempus quod attinet, quo hydrophobia post morsum appareat, plerumque intra 40 dierum spatium hoc fieri statuit ille; sed se ipsum experientia esse edoctum, post 6 menses elapsos, imo post annum eam se exseruisse, aliisque ipsi narrantibus fuisse homines a cane rabido commorsos, qui septennium optimâ sanitate peregerint, priusquam aquae formidine afficerentur 77).

76) XXXVI. c.

77) c. XXXVII.

Haec sufficient de Dioscoride, ad quem in parte therapeuticâ denuo erit revertendum; cum pariter sermo erit de *Cornelio Celso* (qui, ex plurimorum eruditorum conjecturâ, Tiberio Caesare floruit) 78) quum, ad hydrophobiae pathologiam quod pertineat, nil prodiderit, nisi quod eum morbum dicat, quo nihil sit dirius, et quo laborantes haud minores siti, quam fluidorum horrore, crucientur 79). — Anno XXIII natus est *Plinius major*, qui, Nerone et Vespasiano Caesaribus, praesertim floruit 80); Collector hic assiduus, variis, ipsius de historia naturali operis, locis 81), varia rabiem canum et hydrophobiam spectantia congescit; quae quidem omnia ad therapiam pertinent, ideoque rectius infra fuerint adducenda.

Ibidem et *Apuleji Celsi* mentionem faciemus (quî *Plinii*, quem modo nominavimus, autaequalis fuit, aut

78) J. Rhodius in: *Corn. Celsi vita* (in C. Celsi de Medic. lib. ed. C. C. Krause. Lips. 1766.)

79) *Corn. Celsus de Medicina*. L. V. c. XXVII. (edit. c. p. 308.)

80) *Le Clerc*. l. c. P. III. L. II. c. II. p. 622.

81) L. VIII. c. XI. — c. XLI. — L. XX. c. IX. — L. XXV. c. II. — L. XXVIII. c. VIII. — L. XXIX. c. V.

ipso superior) 82) ex Centuripis Siciliae oriundi, ubi rabidi canes frequentissimi sunt 83). Item hujus discipuli, *Scribonii Largi*, qui Claudio Caesare (40 — 53 an. p. Chr. n.) vixit 84), et quamvis praeceptoris antidotum contra rabidorum venenum valde laudet, tamen fatetur, ex hydrophobiâ servatum sibi innotuisse neminem 85).

Trajani temporibus (100 circiter an. p. Chr. n.) vixit *Rufus*, Ephesius 86). Aquae timorem ex atrâ bile genitum credidit, quae homines illâ vexatos variis formidinationibus impleat 87). — Hadriano imperante (130 circiter an. p. Chr. n.) floruit *Artemidorus* Si-

densis 88), Erasistrati sectator, qui, propter singultum et fellis vomitum atque insatiabilem sitim, in ventriculo hydrophobiae sedem quaerebat 89).

Horum aequalis fuit *Soranus*, praecipuus sectae methodicorum reformator 90). Ejus scripta sunt quidem deperdita; sed quum ejusdem adsecla, *Cael. Aurelianus*, (qui haud multo post Galenum floruisse videtur) 91) ipse fateatur, suum opus nil aliud esse, nisi Sorani libri versionem 92), id quod tertio libro acutorum morborum 93), de hydrophobiâ ipse dicit, tanquam ipsius Sorani de hoc morbo experta et cogitata accipere potueris.

-
- 82) Sprengel, l. c. P. II. p. 67. — Le Clerc, l. c. P. III. L. I. c. l. p. 561. — Rhodius in Corn. Cels. vita. — (Cornarius in praefat. in Marc. Empiricum.)
- 83) Scrib. Larg. compos. med. c. XLIII. S. CLXXI.
- 84) Janus Cornarius in praefat. Rhodianaë edit. Scrib. Largi.
- 85) Composit. med. c. XLIII. S. CLXXI.
- 86) Sprengel, l. c. P. II. p. 65. — Clinch, Lond. 1726. ed Rufi Eph. de vesic. renumque morb. p. IX. X. (ex Suid. T. III. p. 266. et Galeno.)
- 87) Paul Aeginetae Relationes medicae. L. V. c. III.

88) Sprengel, l. c. P. I. p. 603.

89) Cael. Aurel. l. c. c. XIV. p. 258.

90) Le Clerc, P. II. L. IV. S. I. c. IV. p. 453. et p. 452.

91) ibid. c. V. p. 455. 456. (Reinesius, varias. lection, c. 17.)

92) Vossius de histor. graec. L. III. — quod autem ad verbum non esse accipiendum recte monet Clericus, quum variis locis Caelius ipsum Soranum cujuscunque rei testem adducat, e. c. l. c. c. XI. p. 254 et alius.

93) a capite IX. l. c. p. 250 usque ad caput XVI. p. 270.

Variis morbi nominibus, qualia sunt, Kynolys-son, pheugydron, phobodipson et similia, memoratis pergit: non solum canes, sed et alia animalia saevire et hydrophobiam cum aliis communicare posse, e. c. equos, ursos, leopardos, et alias etiam bestias, non quidem rabidas, sed solummodo valde iratas. Neque e morsu solo, sed et adspiratione, linctu, rasu unguum et quovis labiorum salivae saevientis animalis contactu; denique vel sine causâ manifestâ oriri. — Ad temporis spatium inter infectionem et morbi eruptionem quod attinet, cum Dioscoride consentit. — Hydrophobiam aestimat tanquam vehementem potûs adpetentiam ac timorem, sine ullâ mentis ratione ex quâcunque corporis affectione profectum. Subsequitur jam primum prodromorum, deinde ipsius morbi, insignior descriptio. Prodromi sunt: anxietas, iracundia, fractum quasi corpus, insolitus ejus motus, somnus turbatus, vigilia, cibi corruptio, stomachi gurgito, crurum brachiorumque extensio, oscitatio frequens, vomituritiones, corporis sensibilitas aucta et depravata quoad aerae conditiones, imbrium devitatio, parva bibendi adpetentia, taedium. — Jam efformati morbi haec fere sunt phaenomena: bibendi adpetentia atque timor, primum aquâ conspectâ, deinde vel sono, vel adeo nomine ejusdem audito; denique et fomentationum

olei metus; pulsûs densi 94), parvi, mutabiles; in quibusdam febricula; articularum stupor et torpor; subreptio et extensio praecordiorum; ructus, alvi abstentio, urinarum missio frequens; tremor atque conductio nervorum; vox obtusa, et quae veluti latrantis sit; corporis involutio, qualis canum est, atque jactatio anxia; respiratio difficilis, rubor vultûs et oculorum, unâ cum reliqui corporis pallore, atque sudore partium superiorum; veretri frequens tensio, cum seminis non voluntario jactu; lingua prominens. Ultimo stadio singultus, vomitus fellis, haud raro nigricantis. — In nostri auctoris descriptione principalis symptomatis hujus morbi, nimirum aquae formidinis, (quo loco et narrat, Soranum infantem hydrophobicum vidisse, matris ubera expavescentem) optima jam reperitur refutatio opinionis nonnullorum serioris temporis medicorum hac de re conceptae, praecipue et Arabum, quas quidem opiniones inferius 95) reperias. Dicit enim, fateri aegrotos, se haud ignorare, naturalem vel consuetam esse aquam, quae ipsis porrigatur, sed eâ adspectâ nihilominus se commoveri, nec bibere eam posse.

94) Alii „tensi“ legunt hoc loco.

95) p. 38. 39.

Methodici, uti constat, omnes morbos in passionibus stricturae et relaxationis diviserunt; et stricturae quidem hydrophobiam adnumerat auctor; sed uti ex rei naturâ intelligitur, cum vi quâdam hoc posuit et nonnulla morbi phaenomena, nec principalia quidem, nec sibi constantia respiciens, quae talem corporis conditionem indicant. — Acutam autem et continuam dicit eam passionem. — Ad sedem morbi quod attinet, Cael. Aurelianus, variis auctorum opinionibus adductis, statuit, caput affici tum, quum delirium adsit, id quod ex prodromis praesertim cognoscatur; ut ex capitis doloribus, aurium tinnitu, visus erroribus et exinde orta palpebrarum nictitatione, ex faciei rubore et calore, epiphora, vasorum temporalium turgore atque similibus. Deinde facile intelligi, locum adnorsum ab initio solum pati, postea universum quoque corpus, quum quisque auctorum adductorum alius, aliam partem morbi sedem dicat, et quum et ipsa phaenomena ipsum morbum comitantia, hoc indicent, ut spasmi, convulsiones, excernendorum retentio et s. p. Jure autem supponi, ventriculorum partem esse praecipue affectam. — Denique auctorum quorundam opiniones de hydrophobiae vetustate congestas inter se confert, iis adsentiens, qui jam pristinis aëvis eam exitisse contendunt 96); quo facto ad ejus curam transit, quâ

96) Quum ille ista sentiat miror, quomodo, cum

de re postea dicitur. — Caelium Aurelianus antecesserunt: *Magnus Ephesius, Aretaeus* et. uti jam supra dictum, *Galenus*. — Horum prior (166 circiter an. p. Chr. n. clarus) 97), in hydrophobis, ventriculorum, diaphragma, pulmones, caput et regionem lumbalem pati ait, id quod ex laesis functionibus conclusit, utpote quae causam motricem in modo nominatis partibus haberent 98).

Aretaeus, pneumaticorum sectae addictus 99), opinari videtur hydrophobiam vitium esse spiritus interni, quo hic maxime ferveat (calescat? maximeque siccescat. Ex rabiei autem caninae Aretaeana descriptione, hunc morbum alteri anginae canum speciei similem esse elucet 100); Quo tempore ille vixerit adcu-

compluribus aliis, eruditissimus Grunerus (morborum antiquitates. Vratislav. 1774. p. 235) dicere possit: Sauvagesum, forsitan Caelii auctoritate ductum, hunc morbum Graecis incognitum ac neglectum fuisse, contendere? — cui quidem rite contradicit ipse Grunerus.

97) Sprengel, l. c. P. II. p. 122.

98) Cael. Aurel. l. c. c. XIV. p. 258. 259.

99) Le Clerc, l. c. P. II. L. IV. S. II. c. III. p. 508.

100) Arct. de caus. et sign. acut. morb. L. I. c. VII.

rate erui nequit 101). — In Galeni (131 an. p. Chr. nati) 102) operibus, varia rabiem canum et hydrophobiam spectantia reperimus, ex quibus aliqua digna memoratu, ab illius antecessoribus non adducta, hic adjicere liceat. — Dicit enim, nonnisi canem, neque ullum aliud animal, rabie (idiopathicane?) affici 103). — Signis ad canis rabiem cognoscendam a Dioscoride jam allatis addenda haec sunt: hujusmodi canes plerumque macilentos esse, oculis rubentibus, caudâ demissâ, linguâ erocei coloris ex ore propendente; cursu eos saepius subito haesitare, quasi repentinâ irâ correptos et s. p. 104). — Vulnus a cane rabido inflictum omni tempore nequam ab alio quocunque vulnere morsu facto discrepare contendit 105). — Quamvis venenum rabio-

101) Le Clerc, l. modo c. p. 516. — forsan Archigenis temporibus 100 circ. an. p. Chr. n. — (Sprengel, l. c. P. II. p. 108.)

102) Le Clerc, l. c. P. III. L. III. c. I. p. 660.

103) De loc. affect. L. VI. c. V. (opp. ed. lat. Bas. 1562.) T. II. p. 81.

104) De therac. c. XVI. T. III. p. 193.

105) De sectis, c. IV. T. I. p. 32. — Hoc effato et alio supra (103.) adducto, conjectura ab Harlesio (l. c. p. 4.) proposita, Galenum ipsum hy-

drophobiam neque observasse, nec tractasse, verisimillima redditur, quum omnino falsa hisce locis Galenus proferat.

106) Galen. in L. III. Hippoc. de morb. vulgar. comment. III. No. 74. Aeger. IV. T. II. p. 291.

107) Galen. in L. I. Hippoc. Prorrhetic. comment. II. No. 17. T. II. p. 348.

drophobiam neque observasse, nec tractasse, verisimillima redditur, quum omnino falsa hisce locis Galenus proferat.

106) Galen. in L. III. Hippoc. de morb. vulgar. comment. III. No. 74. Aeger. IV. T. II. p. 291.

107) Galen. in L. I. Hippoc. Prorrhetic. comment. II. No. 17. T. II. p. 348.

tem auferre possit 108). In „definitionibus medicis“ Galeno adscriptis, hydrophobia ita definitur, utaque reformidatio sit affectus ex canis morsu rabie furentis, cum potius aversione, convulsione et singultu, quibus praeterea et delirium superveniat. — In aliis operum illius locis passim reperiuntur aliorum quodam medicorum de rabie et hydrophobia breves quaedam notae (109), tam parvi autem momenti, de quibus tacere malim. —

Constat inter peritos, inde ab eo, quod nunc tetigimus, tempore omnes literas et scientias, adeoque et ipsam medicinam magis magisque decrevisse omninoque fuisse delapsas, magis et superstitione rationalis medicinae studii locum occupantibus; quamvis ex scholâ Alexandrinâ, usque ad finem septimi circiter saeculi nonnulli adhuc medici, sique eximii, prodirent, uti [ex iis, nos qui spectant] Oribasius, Aëtius, et Paulus. Tunc Arabes usque ad decimum tertium fere saeculum artem medicam paulisper adhuc excoluere; sed et hi [sicut modo nominati Graeci] non nisi superiorum auctorum, praecipue Graecorum, et Galeni in primis, scripta in suam vernaculam

108) De theriac. c. XVI. T. III. p. 193.

109) De antidot. L. II, c. XV. T. III. p. 239.

culam translata excerpterunt, novique aut nihil subaddidère, aut superstitiosa et quae nullius essent momenti. — Tali modo et ad hydrophobiae historiam pertinentium in eorum scriptis quantumvis voluminosis, fere nil egregii ab ipsis vel excogitatum, vel observatum invenias, praeter collectas antecessorum opiniones et animadversiones, ex quibus ne falsa quidem excreverunt, sed omnia sine ullo iudicii acumine adhibito temere accepère. Quapropter ex eorum operibus, in quorum fere unoquoque sectio singularis de hoc morbo tractans reperitur, pauca solummodo eligam, quae aut ab iis ipsis, aut a veteribus auctoribus deperditis proveniunt.

Circa A. Chr. 360 — 380 floruit *Oribasius* (110). Inde ab eo (111) vel omnes reliqui Arabum medici sequens experimentum receperant, cognituri, canis, qui momorderit, utrum rabidus fuerit, nec ne? Suedet enim vulnus morsu inflictum nuce regis eaque trita obtegatur, post aliquod tempus nux desumpta gallo gallinaceo projiciatur. Quodsi moriatur nuce comestus gallus, rabidum fuisse canem statuit; sin vivat vigeatque, sanum. Quae autem methodus omni caret securitate et fide.

110) Nicolai, l. c. p. 238.

111) Pauli Aeginetae Relationes medicae. E. V. c. III.

Aëtius quarto p. Chr. n. saeculo scripsit 112), aut, uti alii malunt, circa an. 550 113). Quae in Tetrabiblio suo de hydrophobiâ tradit 114), maximam partem ex Rufi et Posidonii [Oribasio aequalis] 115) scriptis deperditis creduntur desumpta 116). — Dicit autem l. c. „qui vitiosis humoribus sunt impleti maxime hydrophobiam patiuntur. — Aquae timor inde oritur. quod aegroti faciem suam rubicundam, torve tuentem atque irâ plenam in aquâ conspiciant. Fieri autem potest, ut, quem ad modum nonnulli perhibent, canis imaginem in fluidis se animadvertere putent. Sic e. c. philosophus quidam commorsus, cui in balneo canis imago apparebat, rationis ope ejus imaginis vanitatem sibi demonstravit et affectionem superavit ac sanatus est ubi citra timorem bibit.“

112) Le Clerc, l. c. Essai. etc. p. 765. — René Moreau de Mission, sangum. in pleurit. Hal. 1742. p. 11.

113) Nicolai, l. c. p. 244.

114) Tetrab. II. Serm. II. c. 24.

115) Nicolai, l. c. p. 212.

116) Harles, l. c. p. 8. — Tetrab. l. c. ed. latin. Basil-1549. p. 284. admonitur quoque.

Paulus Aegineta, ei, quem modo diximus, aut aequalis fuit 117), aut initio septimi saeculi vixit 118), et, sicut Aëtius, Alexandrinae scholae discipulus erat. Ille de rabie caninâ et hydrophobiâ eadem, quae Dioscorides, Galenus et Aëtius dixerant, vel ad verbum literamque reddidit 119). Signis canis rabidi addit haec: quod auribus dimissis, mutus, sine latratu, incedat. — Et homines hydrophobos suo morsu eundem cum aliis hominibus morbum communicare contendit. Fieri posse, ut aquae formidinis causa sit ejusdem canis, qui momorderat, imaginis aspectus in potu. Nullum hydrophobum unquam servatum se quidem nosse, licet historia exempla nonnulla tradiderit, neque vero de servatis ex canis rabidi morsu, sed de iis, qui ab alio commorso affectionem ad se transtulerint. — *Jahjah Ebn Serapion* an. 760 120) aut 820 121) p. Chr. n. floruit;

117) Le Clerc, l. c. Essai. p. 765. — René Moreau de Miss. sang. in pleurit. p. 11.

118) Nicolai, l. c. p. 249. — Sprengel, l. c. P. II. p. 294.

119) Paul. Aegin. relat. med. L. V. c. III.

120) Le Clerc, l. c. Essai. p. 770.

121) Sprengel, l. c. P. II. p. 369.

qui nil novis ubaddidit antecessorum placitis 122). Ad idem experimentum, supra memoratum, nucem regiam commendat idem. In parte therapeuticâ ad hunc revertendi locus erit.

Rhazes, qui sub finem noni et initio decimi saeculi vixit 123), in descriptione canis rabidi dicit 124): eum caudam inter crura intromittere, rauram habere vocem, alios canes hunc aversari et fugere, nec panem sanguine illitum comedere, qui ex vulnere a rabido cane inflictio profluxerit. —

Avicenna decimo et undecimo saeculo floruit 125). Hic praeter calorem et frigus, causis rabiei canum hasce etiam adnumerat; si comedant ex cadaveribus et lambant sanguinem animalium putredine corruptum, aut putridam bibant aquam; utpote quibus omnibus aequae ac supra memoratis, causis commutentur ipsorum humores et ad melancholiam declinent. Tum

122) Serap. Breviarium s. practica (ed. Gernard, a Cremon) Fr. V. c. XVII. f. 52.

123) Sprengel, l. c. P. II. p. 393. — Le Clerc, l. c. Essai. p. 771.

124) Rhazes Division. L. I. c. CXLI.

125) Le Clerc, l. c. Essai. p. 771. — Nicolai, l. c. p. 272.

sequitur canis rabidi scita descriptio, ab iis tamen, quas superiores prodiderunt, haud valde diversa 126). Et alia animalia rabida fieri, contendi a quibusdam memorat 127). Ex ejus hydrophobiae, quâ homines afficiuntur, haud minus scitâ descriptione, ea commemorare liceat, quae ab ejus antecessoribus nobis nondum erant tradita. „Initio morbi“, ait 128), „aegroti sunt tristes et iracundi, amantes solitudinis; extremitates spasmis commoventur, sitiunt, liquorem aversantur et cum bibere tentant, strangulantur 129). In ipsorum urinâ apparent res mirabiles carnosae, tamquam catuli, vel alia animalia 130). Nonnullis

126) Avicenna. L. Canonis. Basil. 1556. L. IV. Fen. VI. Tr. IV. c. V. p. 931.

127) ibid. c. VI. p. 932.

128) ibid. c. VII. p. 932.

129) Hic primum nobis occurrit indicium, ut videtur, rei senioribus aevi maxime inter medicos solemnis, causam sc. potius horroris, in organis glutuendo inservientibus esse quaerendam.

130) Confer. Bernard. a Gordon, Liliu medicinae ed. Uffenbach. Francof. 1617. P. I. c. XVII. p. 71.

urinae sunt retentae, alii nigrum mingunt fluidum. Cum aliis hominibus eundem morbum communicant non mordendo solum, sed etiam si alii cibo potuve, quo hi usi sint, et ipsi fruuntur. Sanantur facilius, qui ita sunt morsi, ut ex vulneribus sanguinis magna copia efflueret, itemque ii, qui medicaminibus assumtis sanguinem mingunt.“ — Experimenta jam supra commemorata, nuce regiâ adhibitâ paneque sanguine vulneris oblito, et Avicenna denuo commendat 131). —

Anno denique 1100 post Chr. n. vixit *Joannes Actuarius* 132), qui in scriptis suis, de rabie et hydrophobiâ satis fuse tractat 133); sed Dioscoridem praesertim secutus, vix, ac ne vix quidem quicquam ejus effatis addidit. Quare de eo tacere hic liceat, praecipue quum in parte therapeuticâ ad eum nobis fuerit revertendum. —

131) l. c. c. VIII. p. 932.

132) Le Clerc, l. c. Essai. p. 768. — Illum sub finem saeculi decimi tertii vixisse Sprengel contendit (l. c. P. II. p. 318. — Confer. Freind, histor. med. Lugd. Batav. 1734. p. 174.)

133) Actuar. Meth. medend. L. VI. c. XI. — L. IV. c. XVI. — L. VI. c. VIII.

Jam eo pervenimus, quousque hanc historiam prosequi nobis propositum erat. Hinc ad partem therapeuticam transeundum, medicos eodem ordine recensituris, quo, in pathologicâ, usi sumus. Itaque opus non erit, tempus iterum indicare, quo vixerint, utpote quod ibi jam absolverimus.

H i s t o r i a e

rabiei caminae et hydrophobiae pars therapeutica.

Ex hac quoque hujus historiae parte, nonnisi remotiora saecula complectente, jam ea conclusio prodit, quae, proh dolor, et nostris temporibus, non mutata vigere adhuc videtur 134): unicum nempe fructum

134) „Videtur“ inquam; quum forsitan nuperrime ad hydrophobiam sanandam aut praecavendam propositis et proponendis methodis, haec conclusio veritatis pretio privetur. Haec quidem sunt *proposita*: 1) Ab Hardero datum consilium, morsus cicatricem imminente hydrophobia, quo tempore ea vario modo mutatur, uti constat, iterum iterumque excindere; qua de re ampliore notitiam inveneris in: Vermischte Abhandlungen aus dem Gebiete der Heilkunde,

ad omnium aevorum medicos ex operoso horum morborum studio, redundasse, quod multos a rabido cane commorsos servarunt, (sed et horum neutiquam omnes, licet, optime curatos) antequam ab ipsa hydrophobia invaderentur, et praecipue diligentissima ipsius vulneris tractatione; sed vera jam manifesteque exorta hy-

von einer Gesellschaft praktischer Aerzte zu St. Petersburg. 1ste Sammlung. 1821. p. 170 — 87. 2) Ibidem (p. 219 — 221) allata hydrophobiam praecavendi methodus, qua in Russia meridionali utuntur, decocti nempe summitatum et florum Genistae luteae tinctoriae usus; quo adhibito sublingua nodulos appareere ajunt, qui aperiri, acque candente exurendi sint. — *Proponendum* vero hoc est: Nemo quidam Austriae Imperatori, pro certa quadam mercede, remedium praesentaneum contra hydrophobiam divulgare pollicitus esse dicitur; qui dictam mercedem ante accipere noluerit, quam se ipsum morsibus canis rabidi dederit, ac post eorum quoddam tempus, illius remedii ope sanus fuerit repertus, hydrophobiae omnino immunis. Quum autem merces desiderata haud fuisset exigua, Imperator cum caeteris Europa imperiis rem communicasse fertur, rogans, velintne ad eam solvendam conferre. An vera sit haec relatio? et si vera, quis rei futurus sit eventus? equidem dijudicare adhuc nolim.

drophobiâ, nunquamdum eos liberaverunt, quamvis jam inde a remotissimis aevis, sicut hoc nostro, quotannis innumerabilis remediorum et simplicium et compositorum, tamquam praesentissimorum, copia sit commendata; quae remedia aut superstitio suâsit, aut fortuitâ experientiâ, observatione non satis exacte, aut in solâ symptomaticâ hydrophobiâ institutâ laudantur; aut quibus vires ad hydrophobiam ipsam debellandam inesse credunt eo, quod contra nonnulla phaenomena, morbum comitantia, opem tulerint; aut denique remedia, qualia morbi naturae, ex theoriâ constructâ respondeant, et hanc ipsam ob rem non prodesse non posse videantur; licet haud magis, quam illa, profuerint.

Priusquam ad ipsa remedia et ad morbos memoratos curandi methodos transeamus, locus hic erit, legem quandam *Solonis* (qui 580 circiter an. a. Chr. n. vixit) commemorandi, quae ad canum morsûs, igitur et rabidorum, praecavendos satis apta esse videtur. Jussit idem 135), „canes mordentes jugo quatuor ulnarum longitudine alligatos tradi, ut absque periculo ducantur.“

135) Plutarch. in: vita Solonis (ed. Hutten. Tubing, 1791) §, XXIIV. p. 229.

Primum quod ad nos pervenit consilium contra rabidorum morsum est *Epicharmi*, suadentis *Brassicae silvestris* folia vulnere imponantur; quamquam submonendum sit, illius praeceptorem *Pythagoram*, maximi momenti remedium *Cramben* putasse, atque ad varios morbos hujus plantae varias species 136) commendasse. 137)

Democritus contra hydrophobiam *Origani* 158) decoctum laudat, in vase sphaerice formato aegrotis porrigendum; propter quod consilium a *Cael. Aureliano* maxime vituperatur et inconsequentiae accusatur; quum *Origanum* vehementer irritandi vi sit insigne, *Democritus* autem ipse hydrophobiam inflammatorium censuerit morbum. 139)

Nicandrum, qui *Ptolomaei Philadelphi* temporibus (280 circiter an. a. Chr. n.) floruit 140), in ver-

136) Dioscorid. l. c. L. II. c. XCVII, XCIV. — L. III. c. XVII. — L. IV. c. LXIX.

137) Plinius, l. c. L. XX. c. IX.

138) Dioscorid, l. c. L. III. c. XXVIII.

139) Cael. Aurel. l. c. c. XVI. p. 267.

140) Le Clerc. P. II. L. I. c. VIII. p. 330.

sibus suis de venenis et antidotis, primum vulneris unctionem commendasse putant 141).

Prima hydrophobiam tractandi methodus, quae ad nos pervenit, haud omnino dissimilis est ei, quae et nostris temporibus vel efficacissima putatur: est quidem *Eudemi*, Themisonis ab hydrophobia liberati, discipuli, de quo jam supra satis fuse locuti sumus. Jussit idem eo morbo affectis venam secari, secundo aut tertio die Helleborum 142) sumere, cucurbitulis adplicatis ad partium pustulationem usque 143). — Helleborus a multis medicis antiquis (sic e. c. 100 an. post Eudemum, ab *Agathino*, scholae eclecticorum conditore, a *Nigro* et aliis) maxime laudatus est et variis formis contra hydrophobiam adhibitus, ut: in formam cataplasmatum in podice, et s. p. — At Cael. Aurelianus improbat ejus usum, quia hydrophobia, morbus sit acutissimus; Helleborus autem remedium, non nisi in chro-

141) Vergilius, comment. ad Dioscor. theriac. L. VI. c. III.

142) Dioscorid. l. c. L. IV. c. CXXXIII, CXXXIV. p. 364, 365.

143) Cael. Aurel. l. c. c. XVI. p. 268.

niciis morbis adhibendum; qui sat otii concedant, diaeta huic remedio respondente utendi, sine qua venenum oppugnari nequam possit. Cucurbitularum usus usque ad partium pustulationem pariter maxime ab eo vituperatur et tam rudem esse methodum dicit, ac si inflammatos oculos ligneo baculo inungere velis. 144)

Artorius narrat, medicos nonnullos hydrophobos in aqua aut frigida, aut calida submersisse, aut saccis inclusos in puteos projecisse, ut bibere cogentur; quo experimento multi graviori morbi impetu interierunt. Ingeniose submonet Cael. Aurelianus: curationem hujus passionis eam esse videri, non ut bibant aegrotantes, sed ut bibere velint 145); qua objectione multi medicorum antiquorum, et inter eos ipse summus Corn. Celsus, tanguntur, uti mox videbimus.

Dioscorides a rabido cane commorsos tractandi methodum in *generalem* dividit, quae omnibus vulneribus venenatis apta sit, et in *specialem*, quae non nisi rabiosorum morsibus respondeat 146). Quum

144) Cael. Aurel. l. c. c. XVI. p. 268, 269.

145) Ibid.

146) Dioscorid. l. c. c. XXXVI. p. 442-

autem *generalis*, in quâ ingens remediorum copia enumeratur, a *speciali* re verâ non discrepet, silentio eam praeterierim, hoc unum submoniturus, Dioscoridem omnia venenata vulnera exsugenda commendare; sugentem vero oportere jejunum non esse osque vino abluisse, et ipsam operationem aggressurum olei aliquantulum in ore continere 147). Ad curam specialem quod attinet, remedium principale, quod, Dioscoride auctore, solum sufficiat ad hydrophobiam praecavendam, a medicis quoque posterioribus, praecipue Arabibus, maxime laudatum, est, compositio ex cancris fluviatilibus inter sarmenta albae Vitis 148) combustis, et ex dimidiâ parte pulveris radicis Gentianae 149); cum meraco vino per quadri-duum porrigenda 150). — Quum autem atrocissimum sit malum avertendum, suadet neque ab aliis proposita remedia negligantur. Propterea ob causas supra notatas minora vulnera sunt excindenda, regione vulneri adjacente scarificandâ, altioribus ulcusculis, cu-

147) Ibid. c. XXXIX. p. 445.

148) Dioscorid. l. c. L. IV. c. CLXIII. p. 384, 385 (Bryonia).

149) Ibid. L. III. c. III. p. 192.

150) Ibid. L. II. c. IX. p. 92.

curbitulis appositis: vulnera urenda, eâque re impedienda, quo minus claudantur, et suppuratio adducenda; quod consilium, decisis crustis, rerum salutarum, Ceparum, succorum Cyrenaici, Medici, aut Partihici 151) applicatio maxime adjuvat; similiter Tritici grana mandendo comminuta, quo minus cicatrix vulneri obducatur, impedire ajunt, Dioscoride consentiente, quamvis idem opinionem, a pluribus servatam non sit amplexus, ista grana, manducatione, aliquâ vi imbuti naturae veneni contrariâ. Sin autem vulnus ante tempus praefixum clauderetur, id quod saepe fit, cultro denuo aperiendum esse atque urendum; si diu satis apertum fuerit, ad sanationem esse perducendum, nec multo post sinapismos applicandos 152). Dietam quod attinet, pergit idem, bibere aegros debere Merum, Passum et lac, et comedere Cepas, Allium 153), Porrum et similia; nec non saepius assu-

151) Ibid. L. III. c. LXXVI. p. 243 (Laserpitium Assa foetida). V. Cordi annot. in Diosc. ibid. p. 494. — Le Clerc, l. c. P. III. L. II. p. 632 (secundum Saunaise). Laser aut Silphium veterum idem quod nos Assa foetida nominamus.

152) Dioscorid. l. c. L. VI. c. XXXVI. p. 443.

153) Ibid. I, II. c. CXLV. p. 165.

mere Theriacum sive Mithridatis, sive ex Eupatorio paratum 154), aliaque aromata. — Si supra commemoratam vulneris tractationem subito vel haud ita multo post vulnerationem adhibendi occasio non fuerit, tunc ab excindendo et adurendo esse abstinendum, quia nec quicquam dolores aegroti afferant. Utendum autem esse, hoc rei statu dietâ modo indicatâ, praeterea purgantibus, ut Colocythidibus cum Sero lactis; saepius diaphoreticis, alternatim per totum corpus Dropacismis atque Sinapismis. Gravissimum autem et efficacissimum remedium semper esse Hellebori usum frequentissimum, usque ad quadragesimum diem, et diutius etiam protractum. Tantam vim huic remedio tribui solere, ut, qui jam levem aquae timorem senserint, servati sint, dummodo statim primo morbi impetu, fuerit adhibitum. — Denique Dioscorides jam ab aliis iteratâ vice traditâ, pariter monet, eos, in quibus hydrophobia jam sit manifesta, a nemine mortalium posse servari 155). — Aliis operis illius locis contra canis rabiosi morsus adhuc laudat: Lycium, in catapotio devorandum, aut, in aquâ com-

154) Ibid. L. IV. c. XXXIII. p. 307 (Agrimonia).
Cordi annot. ibid, p. 505.

155) Dioscorid. l. c. L. VI. c. XXXVII. p. 444.

bibendum 156); Fici succum in plagam instillandum 157); mel et linctu et potu sumendum. 158)

Cornelius Celsus 159) ex vulnere virus cucurbitulis extrahi jubet. Submonet, si locus neque nervosus fuerit, neque musculosus, vulnus esse adurendum. Sin uri nequeat, sanguinem homini mitti, haud esse alienum. Tum isto quidem vulnere supra imponenda, quae caeteris ustis sint, quod autem expertum non sit ignem, huic medicamenta, quae vehementer exedant, tumque ulcus ad sanitatem perducendum. „Quidam“, pergit, „post rabiosi canis morsum protinus in balneum mittunt aegrotum, ibique jubent desudare, dum vires corporis sinant, vulnere adaptato, quo magis ex eo quoque virus destillet; deinde multo eum meracoque vino excipiunt. Idque quum ita per triduum factum est, tutus esse homo a periculo videtur. — Unicum tamen remedium contra jam exortam hydrophobiam est, nec opinantem in piscinam, neque ante ei visam

156) Ibid. L. I. c. CXIV. p. 61. Cordi annot.
ibid. p. 463.

157) Ibid. L. I. c. CXLV. p. 85.

158) Ibid. L. II. c. LXXIV. p. 118.

159) De Medicinâ. L. V. c. XXVII. p. 313. 314.

projicere aegrotum, et si natandi scientiam non habet, modo demersum, bibere pati, modo attollere, ut invitus quoque aqua satietur; sic enim simul et sitis et aquae metus tollitur. Sed aliud periculum eum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum, nervorum distentio absumat. Id ne accadat, a piscina protinus in oleum calidum demittendus est. Antidotum autem (praecipue id, quod primo loco posui 160), si nondum aeger aquam horret, potui ex aqua dandum est, si jam horret per catapotia sumi potest."

Jam ad *Plinium* transimus. Inutile foret, omnia remedia, maximam partem superstitiosa, hic enumerare, quae ille locis libri ipsius supra dictis sine ullo discrimine in efficacibus commendat, ut: ad rabiem praecavendam, catulis caudae apicem abscindendam, aut ipsos castrandos, aut simum gallinaceum pabulo eorum admiscendum; ad canum morsum evitandum, cor, aut hepar aut alias partes canis, aut hyaenae, secum gerenda; similiter, ad hydrophobiam arcendam capillo-

160) Corn. Cels. l. c. L. V. c. XXIII. p. 280. —
Hoc Antidotum simile est aliis, quorum per-
magnam copiam medici antiqui composuerunt
et de quibus ut exemplum praebeam, Apul.
Celsi celeberrimum Antidotum mox memorabo.

rum canum cinerem vulneri imponendum, aut intus adsumendum; aut glebularum ex nido hirundinum, aut cutem anguinam verno tempore depositam unicum cancro mare tritam et alia hujusmodi maxima ex parte cum aceto sumenda; denique potui admiscendum esse limum, qui sub lingua canum rabiosorum excernatur. Remedium autem principale contra rabiosi canis morsum radicem Rosae silvestris 161) esse contendit, quo remedio homines servatos adhuc fuisse, in quibus hydrophobiae initium jam apparuerit. — Maximum autem damnum per tot saecula et nostris etiam temporibus isto Plinius intulit effato: „est vermiculus in lingua canum, qui vocatur a Graecis *lytta*, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt“ 162); quod incredibili modo per totam Europam divulgatum homines securitate perniciosissima induit, ita, ut talem canem rabie incipiente affectum observare, aut necare, et hominibus et caeteris animantibus commorsis a cane, cui ille vermiculus exemptus erat, opem ferendam negligerent; quamvis omnibus aevis funestissima exempla istius operationis

161) Dioscorid. l. c. L. I. c. CVI. p. 56 (Cynorhodos, Cynosbatos). Cordi annot. ibid. p. 462 (Rubus canis).

162) Hist. natur. L. XXIX. c. V.

vanitatem sat clare demonstrarent, ac Demetrius Constantinopolitanus 163) eam inanem esse monstrasset et anno 1609 jam Casserius istum scilicet vermiculum depinxisset, ac re verâ musculum esse, cujus ope canes potum lingant, docuisset. 164)

Apulejus Celsus celeberrimum Antidotum contra canis rabidi morsum, composuerat, cuius parandi methodum Scribonius Largus nobis tradidit:

163) Scherf, Archiv für med. Polizei etc. Leipz, 1783. 1ster Bd. p. 168.

164) Casserii Pentaestheseion. t. 2. tab. 5. fig. 4 et 5. — Quae si vera fuerit opinio, uti Blumenbachii Observatione quâdam (Handbuch der vergleichenden Anatomie. 1815. p. 342), effici videtur, docentis: Opossum, quod similem tendinem, in musculum existentem, sub linguâ habeat, canum more pariter lingendo bibere, — tunc hujus partis excisio tanto magis est perniciosa, quanto difficilior tum canibus bibendi actio redditur, siti cruciatis, quae forsitan eorum rabiei causis fuerit adnumeranda. — Ampliorem hujus partis notitiam vid. in: Morgagni de sed. et caus. morb. P. I. Epist. VIII. Art. 33. 34. 35. — Kuehn, in: Krünitz, ökonom. Encyklopädie. — Boneti sepulchretum ed. II. B. I. S. VIII. in addit. obs. 3. — obs. 11.

„Nardi Syriaci, Croci, Myrrhae, Costi, Cassiae, Cinnami, Schoeni, Piperis albi, Piperis longi, Castorii, Galbani, Resinae terebinthinae, Opii, singulorum p. III; Alterci albi p. II; Anesi p. I; Apii seminis, Tragacanthi, singul. p. VI; mellis Attici sextarium unum, vini Falerni, $\frac{3}{4}$. In hoc maceratur Tragacanthum et Opium pridie; postero die contusis caeteris miscentur in melle Galbanum et Resina, fictili patellâ super carbones impositâ resolvuntur; deinde arida asperguntur; et si opus fuerit, mel adjicitur, ut cerati teneri spissitudinem habeant; et rursus patella super ignem imponitur, moventurque, quae sunt, spathâ fraxineâ. Coquitur medicamentum, donec crocinum habeat colorem; ultima quae sunt, vino macerata adjiciuntur: vase vitreo Antidotum reponitur. Datur fabae Aegyptiae magnitudine ex aquâ“ 165).

Scribonius Largus hoc Antidotum manifestatâ jam hydrophobiâ cum Rosis et aquae pauxillo dari iubet, ad morbi symptomata mitiganda. — Idem et

165) Scrib. Largus, l. c. c. XLIII. S. CLXXIII.

pellis hyaenae, brachio alligatae, tanquam prophylactici contra hydrophobiam mentionem iniecit, sed quod ipse nondum sit expertus. Ille quoque vulnus per longum tempus in suppuratione continendum suavit; id quod optime acribus, uti Cepis, Scillâ (166), Chelidonio (167) et similibus, imponendis efficiatur. — Aliorum quoque medicorum Antidota nonnulla memorat (168).

Aristoxenus largum potum commendat ac frequentem clysterium, tum purgantium, tum lenientium, sedativorum usum, quo autem Cael. Aureliano iudice symptomata exasperentur (169).

166) Dioscorid. l. c. L. II. c. CLXIV. p. 178. 179.
Cordi annot. ibid. p. 482.

167) Ibid. L. II. c. CLXXIII. CLXXIV. p. 185. 186.
Valer. Cordi annot. ibid. p. 483.

168) Scrib. Larg. l. c. S. CLXXI — CLXXIV. —
CLXXVI. CLXXVII.

169) Cael. Aurel. l. c. c. XVI, p. 268.

Rufus Ephesius primus Anagallidis (170) usum contra hydrophobiam commendavit (171).

Soranus hydrophobiam (uti ex *Cael. Aureliani* opere videre licet) methodo, ejus supra expositae de hoc morbo theoriae respondente, relaxantibus remediis praecipue tractavit: Decumbant aegrotantes loco modice calido et lucido; adhibeantur articulorum defricationes; defendantur a somno, usque ad laxamentum temporale (sit venia verbo, adhibito ab ipso auctore!); partes spasmis convulsae tegantur et adducantur iis vaporationes molles; in ipso morbi accessu imponantur iis panni lanei, inscio aegro oleo dulci calidoque imbuti. — Tempore morbi remittentis, si febris adest, decrescente calore, si non, aquae timore imminuto, vena est secunda, quâ operatione oculi aegrotorum sunt avertendi, et sanguis manu

170) Dioscorid. l. c. L. II. c. CLXXI. p. 184. Cordi
annot. ibid. p. 483.

171) Sprengel, l. c. P. II. p. 65. — sed uti videtur tantum externam ejus applicationem; Aëtius, Tetrab. ed. Basil. 1549. — II. S. II. c. XXIV. p. 284.

excipiendus, ne defluentis sonu miser perterreatur. — Post perunctionem cibus porrigendus est tenuis ac sorbilis, ita, ut, ipso inscio, cum cibo, potus etiam ingeratur, uti panis aquâ infusus, aut Alica ex aquâ, et similia; quae facile aegri accipiunt. — Tempore remissionis colloquio, uti fortuito, lavacrum et bibendi consuetudinem memorare oportet et observare, utrum aegroti ad haec verba quieti maneant, an perturbentur et irascantur; quod si non acciderit, potus iis offerendus ex oblecto vase fictili, fistulâ tenui, pupillarum uberum ad instar instructo, et eorum quidem oculis, aut fenestris, clausis, ne fluidum animadvertant. — Omnino omnia sunt evitanda, quibus morbi accessûs denuo invitari possint; et hac de re permagni est, ministris aptissimis tacitisque uti. — Aegroti per totum thoracem cataplasmatibus sunt obtegendi, et, morbo progrediente, ibidem et scarificandi, cucurbitulis deinde superimpositis; capillus est detondendus, capitique remedia jam nominata applicanda; gestatio commendanda, sive in lectulo suspenso, sive in portatoriâ sellâ. — Si per os fluida ingerere non licuerit, bis per diem clysmata suppeditanda, quibus applicatis id agendum, ut abdomine leniter presso fluida ex inferioribus ad superiores partes ducantur. — Convalescentes per multum tempus a lavacro sunt

detinendi pariter atque a vino. — Si ex hydrophobiâ satyriasis oriatur, praeceptis, in capite de hoc morbo tractante 172) commemorandis, est curanda. — Deinde Cael. Aurelianus nonnullorum aliorum medicorum hydrophobiam tractandi methodos enarrat, singulas quidem magis minusve ab ipso taxatas. Sic *Tullius Bassus*, nescio quis, sternutatoria et clysmata commendat; alii Castoreum laudant; alii oleum Rosarum; alii denique Diagridium et Elaterium 173), et s. p. — Tum et varias medicorum methodos memorat, quibus, ad fluida aegrotantibus ingerenda, utantur. Sic offerunt iis nivem, aut fructûs succulentos; alii vas potum continens pelle belluae cuiusvis cani inimicae tegunt, quam et morbo a cane orto (hydrophobiae), contrariam esse, superstitione sibi persuadent. Sed talia, et quae sunt hujus generis alia superstitiosa remedia vulgivaga inutilia esse, nec raro perniciosa, judicat ipse Aurelianus 174). —

172) Cael. Aurel. l. c. L. III. c. XVIII. p. 288. et. s.

173) Dioscorid. l. c. L. IV. c. CXXXVI. Cordi annot. ib. p. 519.

174) Cael. Aurel. l. c. c. XVI. p. 264 et sqq.

Galenus, in variis locis 175) admonet, quanti sit, vulnus a rabido cane morsu inflictum, statim ab initio recte curare, et per longum tempus apertum servare, quem in finem Menippii cuiusdam emplastrum 176), ex pice Brutiâ, Oppoponace 177) et aceto factum, (quo et Aeschriion, Galeni praeceptor, utebatur) 178) aut Brassicae folia, cum Lasere trita, aut simpliciter imponenda commendat, simul eorundem foliorum decoctum pro potu propinans 179). — Remedium internum ad hydrophobiam praecavendam, cui summam fidem Galenus praebet, illud est, ex cancris fluvialibus et Gentianâ paratum, quod supra, cum de Dioscoride sermo fuerat, jam commemoravimus, et quod Galenus ab *Aeschrione* accepit, qui isti compositioni

175) De sectis. c. IV. ibid. c. VIII. et aliis permultis.

176) Galen. de antidot. L. II. c. XI.

177) Dioscorid. l. c. L. III. c. XLVI. p. 223. Cordi annot. p. 490.

178) Galen. de simpl. medic. facult. L. XI.

179) Galen. de medicam. facil. parand. L. III.

praeterea sedecimam Thuris partem adhuc adjici jubet, submonens cancos, post ortum sideris Canis, quando sol in Leonis signum transierit, nonnisi mensis decimo octavo die, esse cremandos 180). — Idem Alysson 181), quam nominant, herbam a cane rabido commorsos juvare contendit 182). Nonnulla remedia laudata, uti Mutulorum carnes, et rabidi canis assum hepar comestum, inefficacia se reperisse dicit 183). In libris de Antidotis et in eorum quidem secundo 184), innumerabilis compositionum copia ab ipso enarratur, quarum maxima pars et ad hydrophobiam avertendam commendatur et ad quas ipsae lectores velim ablegatos, quum eorum omnium fusior explicatio non sit hujus loci. Reperitur ibi Antidotum Antonii Coi, ex Alyssis; Cratippi, ex cancris, Gentianâ, Myrrhâ et aliis; Aelii Galli, Dionysii Mi-

180) Galen. de simpl. med. facult. L. XI.

181) Dioscorid. L. III. c. LXXXVII. p. 248. Cordi annot. ibid. p. 495.

182) Galen. de simpl. med. fac. L. VI.

183) ibid. L. XI.

184) c. XI. et sqq.

lesii, ex semin. Petroselini Ameos, Anisi, Serpilli, Foeniculi, rad. Vitis alb. Aristoloch. et alius; Claudii, similis cum Scillâ; plura cum cancris; Menelâi ex Nitro rubro, faece vini et Ammoniaco; Herae album remedium ex Lithargyro, Cerussâ, Myrrhâ, Thure etc. — Similia et in spuris Galeni libris proposita reperiuntur, ut: Aridionis Electuarium 185); succus Centaureae 186); rabidi canis dens armo alligatus 187), et quae sunt reliqua 188).

Aëtius, praeter alia, et praecipue Dioscoridis, insuper commendat remedia; ulceri Marubii 189) et Anagallidis folia imponenda, idque perfundendum

185) In L. de medic. expert.

186) In L. de Centaur. virtut. — Dioscorid. l. c. L. III. c. VI. c. VII. p. 194, 195. Cordi annot. ibid. p. 485.

187) In L. de incantat etc.

188) In L. de secret. — in L. de melancholia.

189) Dioscorid. l. c. L. III. c. XCVIII. c. C. p. 254, 255. Cordi annot. ibid. p. 495, 496.

decocto Chamomillae 190) et radice Rumicis acuti, quem Oxalidem 191) dicunt. Et senem se novisse contendit, qui solo hujus radice decocto, quo sumto aegroti multum minxerint, a rabido cane commorsos sanasset; eademque vi pollere et Rumicis silvestris aculeati 192) radicem. — Neque non Potamogeton 193), cum sale vulnere impositum impedire, quo minus morsus aliquis incidat in aquae timorem. — Ille quoque compositionem, ex Opio et carne Nucis juglandis factam commendat; cui ne nimiam fidem habeas, ipse addit: quae si non adfuerit, et aliam quamcunque similem substituisse licere 194). —

Paulus Aegineta multa remedia ab hucusque commemoratis re verâ non discrepantia, ad cicatri-

190) Dioscorid. l. c. L. III. c. CXXXI. p. 276. — Cordi annot. ibid. p. 498.

191) Dioscorid. l. c. L. II. c. CVII. p. 137. — Valer. Cordi annot. ibid. p. 476.

192) Valer. Cord. annot. ad Diosc. ed. c. p. 476.

193) Dioscor. L. IV. c. LXXXVI. p. 341. Cord. annot. ib. p. 513.

194) Aëtius. Tetrab. II. S. II. c. CXXIV. ed. c. p. 284.

cem redaperiendam et in suppuratione servandam, id quod per 42 dies fieri debeat, commendat. Ad internum usum laudat porrigendum Lycium 195), Absinthium 196), Silphii succum, Chamaedryn 197), Scordium 198); item compositionem ex cancris, cui nonnulli perdicis sanguinem addant. Saepius etiam purgari vult aegrotantes et, quid multa? ille quoque, vel ad literam, Dioscoridis praecepta repetit 199).

Et *Serapion*, sicut ambo praecedentes, remedium ex cancris, per 40 dies porrigendum et emplastrum ex Opoponace supra memoratum, vulneri imponendum commendat. — Methodum ille proponit, quae aquam expavescentibus fluidum aliquod sit ingeren-

195) Dioscor. L. I. c. CXIV. p. 60. ibid. Cordi annot. p. 463.

196) ibid. L. III. c. XXIII. p. 205. ibid. Cordi annot. p. 487.

197) ibid. L. III. c. XLIV. p. 251. ibid. Cordi annot. p. 495.

198) ibid. L. III. c. CVI. p. 259. ibid. Cordi annot. p. 495.

199) Paul. Aegin. relat. med. L. V. c. III.

dum; suadet enim mellis solidi (favi) frustum excavare, cavum aqua impletum, mellisque disco obtectum aegroti porrigas 200).

Rhazes, praeter ea, quae jam novimus, remedia, contra hydrophobiam eandem diaetam atque curam, quae ad melancholiam adhibemus, commendat 201).—

Avicenna vulnus per 40 dies apertum teneatur suadet, rebus et mollientibus et acris, variis locis a nobis jam memoratis, quibus et venenum attrahatur, uti dicit (medicaminibus attrahentibus adnumerat et pisces salsos, urinam humanam et similia) — hoc facto per duos, tresve dies evacuare studet, compositionis ope, ex Helleboro nigro, lapide Armenio, Polypodii radice et Agarico. Statim ab initio autem purgatoria noxia esse putat, quum hoc modo venenum ad internas magis partes dirigatur; sudores autem, balneis crebraque corporis exercitatione initio excitandos utiles esse censet. — Sin ab initio attractio neglecta fuerit, tunc statim evacuantia fortiora

200) Serap. breviar. citat. Tr. V. c. XVII, f. 52.

201) Rhazes division. L. I. c. CXLI.

esse praebenda. — Si signa plethorae sanguineae manifestentur, sanguinem mittere licet, ita, ut avertantur aegrotantis oculi a sanguine fluente. — Cibos porrigit pingues, humectantes, item cepas et similia; pro potu, vinum, lac et aqua, in aquâ ferrum caudens saepius fuerit extinctum, cujus virtutes magnopere laudat. — Theriaci usum, atque illius compositionis jam memoratae, ex cancris, quoque commendat. — Si, post vulnerationem, jam triduum sine adhibito auxilio transierit, tunc cicatricis redaperitionem inutilem censet, cum venenum jam per totum corpus sparsum sit, uti exempla doceant, hydrophobiam nimirum jam primae post vulnus inflictum hebdomadis spatio se exseruisse. Quae cum sic se habuerint, rubifacientia esse applicanda; si necesse fuerit, vena secanda; praesertim autem cavendum, ne frigore et balneo, quod facile fieri potuerit, interficiatur aegrotus. — Morbo ad sanationem jam tendente, balneis tepidis, perfusionibus similibus, frictionibus et unctionibus calidis esse utendum. — Idem similes, quibus usi fuerant antecessores, compositiones commendat admixtis variis rebus mirabilibus uti: Coagulo leporis, vulpis aliorumque animalium, terrâ sigillatâ, luto lacunae Alexandrino et quae sunt hujus generis alia. — Alyssi et Myrrhae externum et internum usum laudat. Ab aliis commendatum dentis canis rabidi armo alligandi usum, et ejusdem sanguinis potum, ad

hydrophobiam avertendam, dissuadet. — Remedium admodum idoneum Cantharides quoque esse putat, ex quibus, maxime cum lentibus excorticatis, nec non aromatibus nonnullis trochiscos parari jubet; iisque sumtis oleum, butyrum et similia ab aegro hauriri, praecipue si dolores pungentes in vesicae regione sentiantur; tum aegrum et in balneum immittas suadet, ibique maneat, usquedum mingat et si tum sanguinem eminxerit, tutum esse dicit ab hydrophobia. — Vulnus glutinâ piscium et formicis tritis obtegere pariter profuturum esse contendit. — Consilia denique memorat varia, potum ingerendi reformidantibus; in vase sc. variis rebus tecto; aut melle et cerâ, uti jam Serapion docuit, iis offerendum esse; aut per fistulam instillandum et s. p. 202)

Joannes Actuarius vel ad verbum Dioscoridis praecepta retulit, vulneris ustionem praecipue commendans. — Herae album remedium quoque valde laudat et ad usum internum. — Ad praecavendum, ne coalescat vulnus, et compositionem, quae ex Euphorbio paretur, imponere suadet 203). — — —

202) Avicenna l. c. c. IX. p. 932 et 947.

203) Actuar. method. medend. L. IV. c. XVI. — L. VI. c. VIII. — c. IX. — et eadem in ej. medic. compos. vol. III. p. 245.

Saeculo decimo tertio, ad quod jam progressi sumus, ut omnium literarum, ita et medicinae propagines novâ quasi vitâ animatae, denuo coeperunt frondescere. Multae novae literarum universitates constitutae sunt, uti Neapoli, Bononiae, Ferrariae, Patavii, Ticini aliisque locis. Parisiis, ubi studio Theologiae et Jurisprudentiae inservientes jam exstiterant, ibidem et Medicinae jam conditae sunt cathedrae. — Quamvis tum scholis iis medicis jam constitutis, Magiâ, Astrologiâ, et superstitione, in eruendâ morborum naturâ eorumque curâ satis diu adhuc uterentur; tamen inde ab hoc historiae artis nostrae spatio, morborum doctrina disciplinae formam induere primo coepit: ideoque et nostra primarum linearum historiae rabiei caninae et hydrophobiae succincta delineatio jam fuerit interrumpenda, quum, uti jam supra monuimus, materiarum copia aliam, ac quâ coepimus, continuandi rationem exposcat, et medicina ad altiorem culturae gradum tum temporis evecta aliam magisque expeditam rationem praebeat.
